

rio sitas est maxima, verum est, at difficultas non est parui momenti.

18 Respondeo pro resolutione questionis, quod duobus modis humanitas pender a Verbo Diuino; uno modo effectuè, & sic ab alijs duabus personis dependet, quia cum productio naturæ humana sit opus ad extra omnini est talis actio productiva omnibus tribus personis, & ab illis est effectuè, & dicuntur causa illius in illam influens, sicut quælibet alia causa in suu effectum, salua tamen proportione; alio modo natura humana pender a Verbo Diuino [loquitur de natura humana] assumpta a Verbo Diuino in utero B.M.V], alio modo inquam humana natura a Verbo Diuino dependet, in quantum Verbum ipsum supplet in illam locum subsistentia creatæ, & sub hac ratione non influit in eam Verbum Diuinum, sed illam per modum puri termini respicit, & ratio huius rei est, quia cum humana naturaliter existens non pendeat a subsistentia propria a priori, siue tamquam ab influente, sed tantum ut ab ultimo termino naturæ, ita hac tantum ratione eadem natura humana spoliata subsistentia propria, siue illa sit suspensa, quo ad suum exercitium ut multi tenent, pender a Verbo Diuino supplete vices subsistentia creatæ, quod idem est dicere, quod Verbum dat esse tali humanæ naturæ, non per modum influxus, sed terminationis.

19 Neque dicat quis, Verbum Diuinum esse causam intrinsecam Christi, atque adeo illi dare verum, & realem influxum. Ne dicat hoc quisquam; quia falsissimum est antecedens; quia, ut dicam infra, cause intrinsecæ non sunt veræ cause, quia non influunt in aliud, & aliud à se, & nihil à se distinctum faciunt; & hoc esto, quod esset causa intrinseca Christi, quod est falsum, nam Verbum Diuinum non est quid incompletum ex se, nec ex eo quia de se sit ordinatum ad faciendum unum compositum cum alia compare, ita quod secundum suam essentiam exigat connaturaliter aliud; quod est id, quod ego dicebam supra in hac q. 5. sect. 2. subsect. 1. n. 7. & in hac subsect. præsentis n. 16. videlicet, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non dicuntur causa Trinitatis, sicut nec tres homines sunt causa numeri ternarij, cùm tres numeri nihil distinctum sint copulatiuè accepti ab ipso ternario, & tres personæ Diuinæ simul sumptæ nihil distinctum sunt a Sanctissima tota Trinitate, cùm torum non distinguantur ylo modo a suis partibus, nec partes simul sum-